



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Catechesis Pverilis

Melanchthon, Philipp

Lipsiae, 1543

VD16 M 2628

Quid praecipit?

urn:nbn:de:hbz:466:1-33561

Deo obedire in hoc præcepto sic ut in timore Dei & propter Deum repugnemus affectibus, qui ad libidines incitant, & abstineamus à scortatione, adulterijs & incestis libidinibus, sed coniugio piè utantur illi quibus est opus, iuxta illud Pauli, Propter fornicationem unusquisque habeat uxorem suam. Nam coniugalem consuetudinem approbat Deus sicut Christus clarè docet Matt. 19. Et Paulus 1. Corint. 7. & 1. Timot. 2. Hæc inchoata obedientia placet Deo, propterea quia sumus facti filij, & habet ingentia præmia sicut testatur exemplum Ioseph. Et quanquam hærent in nobis uiciosi affectus, tamen condonantur ijs, qui repugnant & credunt in Christum.

DIC SEPTIMUM

præceptum.

Non furtum facias.

Quid præcipit?

Vita opus est rerum usu, possessione, & contractibus. Ideo iam docet etiam in his rebus Deo seruire, & primum, quia uetat furta, sequitur quòd liceat suum cuique tenere. Quare rerum distinctionem & dominia approbat. Estq; doctrina utilis conscientie, intelligere quòd Deo placeat hæc externa & politica ordinatio

ordinatio distinctionis dominiorū. **E**contra prohibet omnia uitia pugnantia cum hac ordinatione, furta, rapinas, iniustos contractus, & qualescunque expilationes priuatas et publicas, mendicitatem non necessariam, negligentiam in curandis facultatibus nobis commissis, prodigalitatem & profusiones & sumptus inutiles, corruptelas, quibus emuntur patrocina in malis causis, mercedes iniustas, imposturas in mercib. etc.

Nec tantum exteriora facta prohibentur, sed etiam interiora uitia, auaritia & omnis cupiditas iniusti lucri & ἀλεοεικημάτων, tenacitas in dandis necessarijs elemosynis, in iuuanda ecclesia & republica. **P**ostremo & naturalis concupiscentia repugnans huic præcepto. **H**eret enim in animis hominum diffidentia, qua fit ut nō expectent homines uictum & cætera commoda uitæ à **D**eo. **I**nde oritur sollicitudo de uictu & fortunis, quæ impellit homines ut appetant aliena, ut insidientur alieno, et quoquo mō quærant. **I**taque accusat & hoc præceptum omnes homines, & erumpit concupiscentia adeo, ut mundus plenus sit furtorum, id est, iniustorum aucupiorum, iniustorum contractuum, rapacitatis, & similia uitiorum.

Quomodo fit hoc præceptum?

E

Cum